

currente per denarium pervenitur ad baptismum¹; scilicet per quattuor evangelia discendo, decim precepta legis intrat, vocatur ad sacramenta baptismi. Unde et mos antiquus obtinuit, ut qui corruerint baptismalem innocentiam, poenitentia afflicti eodem die, idest cena Domini, redirent ad reconciliationem episcoporum, ut poenitentia mundati participes sint in pascha Domini ablutis unda baptismatis. Inter quintam et primam duo differunt. Habet enim duo catecuminus, quae differunt, secundum quod scriptum est in evangelio de caeco nato et inluminato a Domino. Dixit ei Dominus²: 'Tu credis in filium Dei?' Ecce inluminatos oculos habet. Ille respondit: 'Quis es Domine?' In hac ignorantia ostendit se nondum gustasse, quam dulcis est Dominus. Quoniam nondum est baptizatus, propterea non manducat carnem Domini. Quadragenario scilicet numero temporalis in hoc mundo cohabitatio demonstratur, quoniam quaternarius in XL numerus prevalet. Quattuor autem partes habet et annus et mundus. Iam in quinquagesimo intrabitur ad celestem habitationem. De qua dicit Paulus³: 'Nostra autem conversatio in caelis est'. Quinquagesimus pervenit usque ad primum pascha. Pascha transitus dicitur. Factus est iam transitus. Videamus qualis. Ille qui dicebat Domino: 'Quis es Domine?' modo dicit: 'Credo Domine', et adorat eum. Transitus iste de ieiunio transit ad cibum sumendum, scilicet corpus et sanguinem Domini. Quinque denarium multiplicando faciunt L. Nostra omnis remuneratio in denario consecrata est. Ipsumque denarium primo in baptismo possidemus. Sit homo exterior integer, qui constat quattuor elementis. Fit interior integer ex trina dilectione, qua diligit Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute. Ipse Deus trinitas est. Fabricata domus⁴ merito possidetur a fabricatore. Deus sedet in hereditate sua. Dicit propheta⁵: 'Beata gens cuius est Dominus Deus eius, populus quem elegit in hereditatem sibi'. Quinque sensus carnalis hominis, qui ducebantur per diversas cupiditates huius mundi, iam coniuncti sunt denario interiori ut eodem currente per denarium perveniant ad quinquagesimum sempiternum, scilicet iobeleum annum, qui plenissime reddetur in resurrectione sanctorum. Post ea sexagesimus occurrit medio pasche, ubi senarius coniunctus est denario, ut sciat quisque fidelis non debere vacare⁶ domo mundata scopis et digna facta habitaculo. Senarius enim numerus perfecta opera demonstrat, quoniam ipse suis partibus compositus primus perfectus est et in sex diebus Deus opera sua fecit, et ibi similiter duo differunt inter primam feriam et quartam feriam; distat enim resurrectio

1) 'pabtismum' Hs. 2) Ioh. 9, 35. 3) Phil. 3, 20. 4) 'domŏf' Hs.
5) Ps. 32, 12. 6) 'vocare' mit übergesetztem a Hs.